



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Michelina 19. Iunij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

Christi patientis memoriam nihil omnino cibi; sabbatho panem tantum, & fontanam admitteret. Interea tamen animum cœlesti pane pascebat, pin-
 cernis oculis meras lacrymas affundentibus; Chri-
 sti tormenta quàm altè animo infixæ gestavit, mors
 probavit, quæ in adverso pectore manifestam Ser-
 vatoris à cruce pendentis imaginem ostendit, uti-
 que illi similem, quam vidisses, si cor inspexisses.
 Ceterùm multis jejuniis exhausta stomachi dolo-
 res contraxit ingentes, & ultimam ciborum nau-
 seam. Et verò terrena, ut quæ nunquam illi sapie-
 bant, facilè neglexit; at divinum cibum cum sic
 ægra non posset accipere, fame scilicet credebatur
 ante mortem moritura. Voluit tamen in conspe-
 ctum afferri Angelorum ferculum, saltem ut oculo-
 los familia pasceret. Nec contenta iussit pectori
 applicari. Tum denique inter risum blandum ex-
 piravit, & ut scires saturam abuisse à mensa sacra,
 nihil ex epulo sacro reliquum esse visi m est. Ex
 Ferrar.

*Scit quicumque sensum Christi habet, quantum
 pietati Christianæ expediat, quantum Dei servum
 & servum Redemptionis Christi deceat, unâ saltem
 aliquâ diei horâ Passionis & Redemptionis ipsius
 recolere beneficia.* S. Bern, l. de Vit. solit.

S. MICHELINA. 19. Iunij.

Laborabat MICHELINA Pisaurensis eodem,
 quo matres pleræque, morbo, impotenti erga
 unicam prolem affectu: ei medicinam facere Sy-
 riana piissima femina cum vellet, totumque con-
 tubernalis amorem Creatori affigere, diu frustra
 fuit: donec inter preces MICHELINA immutata,
 animo ausa est cum Deo pacisci, si filii curam in se
 rece-

recepisset, nihil in humanis sibi tanti fore; ævo vel ad momentum temporis ab ejus seruitio avocaretur. Accepit conditionem Christus, ei que de cruce pollicitus est, obicem pietatis illius sese amoturum. Regressa domum filium exanimem reperit; cum quo simul ac supervacuas curas tumulavit, opes quoque, & cætera malotum irritamenta sine gemitu abdicavit, omnia vicissim sancti amoris insignia assumpsit: vestem setis horridam cinctu ferreo corpori astrinxit; flagro ferreo concisum corpus nuda humus excepit: pulvilli vicem truncus fuit: sipe ferè vixit, aut mercedulis sui laboris. Quò quisque à morbis deformior fuit, eò impensius MECHBLINÆ charitate sublevabatur: satisque constat exesum elephantiasis ejus osculis persanatum, quibus singula ægræ ulcera liberaverat. Ad cælum an M. CCC. LVI. abiit. Flagrum ejus, cilicium, zonaque ferrea in Virginis Salutariæ templo asservantur, sacre militiæ tyronibus monstranda. His armis cælum expugnavit femina. Sperabitis molliora viri? *Ex Chron. Minor.*

Sic propinquos sicut nosmetipsos odio habere præcipimur; ut hos ad aeterna rapientes, eorumque carnalem gratiam, cum præpedit, postponentes, discamus, temperata eos discretionis arte, & convenienter diligere, & salubriter odio habere. S. Greg. 7. Mat. c. 14.

S. NOVATVS PRESBYTER.

20. Iunii.

Non jam Priamum aut Nioben Græcus Parnassus cantet in funera sua fecundos. At nos PVDENTI Senatorii ordinis Romæ viro NOVATY & TIMOTHEVM filios geminos, totidemque filias PVDENTIANAM & PRAXEDEM gratulamur.

om-